



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, *Graz, Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

Circa principium secundi libri quaeritur primo utrum mundus possit fuisse ab aeterno.

Videtur quod non solum mundum ab aeterno fuisse sit impossibile, sed etiam quamcumque aliam creaturam.

Sicut enim creatio est a non ente in ens, ita annihilatio est ab ente in non ens. Ita quod sicut in creatione non ens est loco termini a quo, ita in annihilatione non ens est loco termini ad quem. Ergo sicut se habet infinitas durationis a parte post, in re quae annihilatur, ita videtur se habere infinitas durationis a parte ante, in re quae creatur. Sed annihilatio non compatitur secum infinitam durationem a parte post in re quae annihilatur. Ergo nec creatio compatitur secum infinitam durationem a parte ante in re quae creatur.

Praeterea possibile est quo posito in esse non sequitur impossibile; sed posito quod mundus ab aeterno fuit, sequitur ex hoc impossibile; ergo non fuit possibile. Maior scribitur I Priorum. Minor probatur, quia ex hoc sequitur Deum ex necessitate mundum creasse, quod est inconueniens. Probatio, quia non potuit eum non creare quando creabat, quia esse, quando est, necesse est esse; nec potuit eum non creare antequam creavit, quia ante eternum nihil est; nec potuit eum non creare postquam creaverat, quia illud non potest fieri quod illud quod factum est, non fuerit. Ergo similiter quando creabat, necessarium erat creare. Si ergo fuit ab eterno, ergo necessarium fuit ipsum a Deo creari, quod est inconueniens.

Contra. I Topicorum dicitur quod quaedam sunt problemata dialectica de quibus rationem non habemus, ut utrum mundus sit eternus. Sed si fuisset impossibile mundum fuisse ab eterno, non habuissemus rationes demonstrativas ad probandum ipsum ab eterno non fuisse. Ergo non fuit impossibile mundum ab eterno fuisse.

Responsio. Circa istam quaestionem sic procedendum est. Primo enim ostenditur mundum ab aeterno non fuisse secundum fidem catholicam. Secundo ostenditur quod mundo /28va/ nec alicui creaturae simpliciter repugnat fuisse ab aeterno. Tertio ponuntur rationes plures, quas aliqui putant demonstrationes contra positionem istam.

Quantum ad primum sciendum quod mundum incepisse in tempore fide magis tenetur sola quam aliqua ratione demonstrativa. Unde et revelatum fuit ipsi Moysi mundum incepisse in tempore. Dicit enim Gregorius quod quaedam est prophetia de praeterito, sicut ipse Moyses prophetavit, cum dixit: In principio creavit Deus caelum et terram. Tamen probabilis ratio potest ad hoc adduci. Sic enim se habet Deus ad causalitatem omnium rerum, sicut artifex ad artificiatum, ut visum est in I. Sed artifex est causa artificiatum per voluntatem; ergo et Deus sic est causa rerum. Modo certum est quod voluntas numquam necessitatur ad agendum vel volendum aliquid, nisi respectu finis, in quem naturaliter inclinatur, vel respectu eorum, sine quibus finis haberi non potest. Finis autem divinae voluntatis est sua bonitas, quae ab alio non dependet. Ergo non est necessarium eum aliquid extra eum velle. Ergo nec creaturarum productio similiter necessaria fuit. Congruum tamen fuit quod ipsae creaturae in tempore producerentur, quia per hoc magis ostenditur divina perfectio. Cum enim nihil possit esse sui ipsius causa, sed omne quod de novo incipit esse acquirit esse ab alio, ex eo quod ponuntur omnes creaturae quandoque non fuisse, ostenditur quod prodierunt ab aliquo primo principio, quod est Deus. Si autem semper ita fuisset, non fuisset ita evidens ipsas a Deo creari. Et sic patet primum.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

Quantum ad secundum quod non repugnat creaturae, ut creatura est, esse ab aeterno, declarant aliqui sic et multum bene. Quia si hoc repugnaret creaturae, hoc non posset esse nisi altero istorum duorum modorum: aut quia oporteret quod agens necessario praecederet duratione effectum suum et sic effectus non esset coeternus causae agenti; aut quia oporteret quod non esse ipsius effectus necessario praecederet duratione esse suum. Sed neutro istorum modorum potest repugnare creaturae esse ab aeterno, ut probabo; ideo etc.

Probatio primae, quod non sit necesse quod causa agens, scilicet Deus, suum effectum duratione praecedat et hoc ostendo sic: Nulla causa producens effectum suum subito, necessario praecedit suum effectum duratione; sed Deus est agens non per motum, sed in instanti et subito. Ergo non est necessarium ipsum duratione praecedere suum effectum. Minor de se patet. Maior etiam patet in omnibus mutationibus subitaneis, quia statim ad praesentiam solis causatur illuminatio in aere in instanti. Hoc etiam patet per rationem. In quocumque enim instanti ponitur res, in eodem instanti potest poni principium suae operationis postquam non est agens impediens, ut statim cum est ignis incipit ascendere sursum et calefacere. Sed in omni operatione instantanea idem est principium et finis operationis, sicut in omnibus indivisibilibus. Ergo in quocumque instanti ponitur agens producens effectum suum subito, potest poni terminus actionis. Sed terminus actionis simul est cum suo effectu. Ergo in omni agente subito, statim, cum est agens, potest poni effectus, ita quod, si potest poni agens, potest poni effectus, et si potest poni agens aeternum, et effectus aeternus. Non ergo oportet necessario quod agens praecedat effectum suum duratione. Tamen certe bene repugnat hoc in causis non agentibus subito, sed per motum, quia semper principium motus finem eius praecedit duratione, etiam quia effectus non est nisi in fine motus. Ideo oportet quod tale agens duratione praecedat effectum. Quod autem non sit necessarium quod non esse effectus duratione praecedat suum esse, ex hoc quod dicitur factum de nihilo, apparet sic. Cum enim dicitur aliquid de nihilo fieri, haec praepositio 'ex' non significat causam materiale, sed ordinem tantum, sicut dicitur: 'ex mane fit meridies', idest, post mane. Sed intelligendum quod haec praepositio 'ex' potest includere negationem importatam in hoc quod dicitur 'nihil' vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, et ostenditur ordo eius quod est ad non esse praecedens; et est sensus: creatura facta est ex nihilo, idest facta est post nihil, haec praepositio 'post' importat ordinem absolute. Sed ordo multiplex est, scilicet durationis et naturae. Si igitur ex communi et universali non sequitur proprium et particulare, non est necessarium nec, propter hoc quod creatura dicitur esse post nihil quod prius duratione fuerit nihil. Et postea fuerit aliquid, sed sufficit ut prius natura sit nihil quam ens. Prius enim inest unicuique naturaliter quod convenit sibi ex se quam quod solum ab alio. Esse autem non habet creatura nisi ab alio, sed sibi relicta et in se considerata nihil est. Unde prius naturaliter inest sibi nihil quam ens. Nec propter hoc oportet quod sint simul nihil et ens, quia duratione non praecedit. Non enim ponitur, si creatura ex nihilo facta fuerit, ut in aliquo tempore nihil sit, sed ponitur, quod natura eius talis est, quod esset nihil, si sibi relinqueretur. /28vb/ Sicut si dicamus aerem semper illuminatum fuisse a sole, oportebit dicere quod aer factus est lucidus ex tenebroso vel non lucido, non ita quod umquam fuerit non lucidus, sed quia esset talis si eum sol sibi relinquisset. Et hoc expressius patet in orbibus et stellis quae semper illuminantur a sole. Sic ergo patet, quando dicitur quod creatura facta est ex nihilo, quod si remaneat



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

ordo affirmatus ipsius creaturae ad nihil quod non oportet non esse ipsius duratione praecedere suum esse. Hoc idem patet si ista praepositio 'ex' includatur a negatione, tunc enim ordo negatur et est sensus: fit ex nihilo, idest non fit ex aliqua. Et hoc modo Anselmus in Monoloyon ponit creaturam factam esse ex nihilo, dicens: Creatio inquam modo quo factum aliquid dicitur ex nihilo, est ut dicatur quid est factum, sed non dicatur aliquid esse, unde sit factum. Per quem modum homo contristatus sine causa dicitur contristari de nihilo. Et subdit Anselmus: Secundum hanc significationem dicit ipse, si intelligatur quod omnia, praeter divinam essentiam, sunt facta ex nihilo, idest non de aliquo, nihil inconueniens est. Constat autem quod secundum modum istum non ponitur aliquis ordo eius quod factum est ad nihil, quasi oportuerit ipsum nihil prius esse et postea aliquid esse. Cum igitur ista stent simul quod aliquid sit ab aeterno et non de aliquo, non oportet necessario quod non esse alicuius effectus duratione praecedat suum esse. Cum ergo non oporteat agens necessario praecedere suum effectum nec etiam est necessarium quod non esse duratione praecedat suum esse, non videtur repugnare creaturae, unde creatura possibile esse ab aeterno.

Modo contra istam positionem arguunt aliqui et diversi diversimode et reputant se demonstrare et ostendunt, quod impossibile est simpliciter aliquid ab eterno fuisse creatum.

Primo aliqui adducunt demonstrationem de animabus, quia constat si mundus fuit ab eterno, tunc generatio fuit ab aeterno et sic infiniti homines praecesserunt. Sed anima humana est incorruptibilis; ergo est ponere infinita in actu.

Secundo arguunt sic de circulationibus solis. Quia infinitae circulationes solis praecesserunt sole existente ab aeterno, ergo infinita conuenit pertransire vel numquam est devenire ad circulationem hodiernam. Primum reputat Philosophus inconueniens, et est. Secundum patet inconueniens esse ex evidentia facti. Adducunt autem aliqui ad rationem istam fortificando eam. Constat quod in omni circulatione et qualibet potuit Deus creare lapidem unum, et sic cum infinitae circulationes praecesserunt, etiam essent infiniti lapides manentes. Et cum isti lapides possint coniungi ad invicem, erit non tantum infinitum secundum multitudinem, sed etiam secundum magnitudinem.

Tertio sic arguunt et valde apparenter quod Deus non potuit facere quod infiniti dies praecesserunt in accepto esse, quia nihil potest esse praeteritum, nisi prius fuerit futurum, quia omne quod est praeteritum, tunc solum erat actu quando fuit et ante illud instans non fuit. Et sic fuit futurum. Sed dies isti praeteriti non poterant esse futuri in acceptione esse, sed tantum in accipiendo. Ergo numquam fuerunt infiniti dies praeteriti. Et sic non fuit mundus ab aeterno nec fuit possibile.

Quarto aliqui arguunt ex parte ipsius creaturae. Unde creatura est ab alio. Primo quia si mundus esset aeternus, tunc suum fieri non esset a Deo, quia non fieret, sed suum conservari tantum. Et sic non haberet esse acquisitum ab alio.

Secundo sic, quia sicut generatio est inter duos terminos, ita et creatio nec in hoc differunt, sed tantum in hoc quod generatio est cum praesupposita materia, non autem creatio. Sed in omni eo quod generatur non esse duratione praecedit esse. Ergo et in isto quod creatur, non esse praecedit esse.

Ultimo sic arguitur a magistris. Machina mundialis non potuit creari a Deo accipiendo idem esse numero cum esse Creatoris. Sed accipere ab aliquo esse diversum ab esse dantis est accipere novum esse. Ergo machina mundialis non potuit creari a Deo nisi accipiendo novum esse ab eo. Sed



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

accipiendo ab aliquo novum esse et ipsum esse ab aeterno semper repugnat. Ergo illa positio includit contradictionem.

Ad omnia illa per ordinem respondendum est.

Ad primum de animabus constat quod illa ratio salva reverentia eorum non demonstrat. Constat enim quod demonstratio debet cogere intellectum uniuscuiusque, cum procedat ex principiis notis lumine intellectus agentis. Illa autem ratio non cogit infidelem, quia dubium multum est apud multos quid sit anima humana, et utrum /29ra/ sit incorruptibilis, ex quo tamen fulcitur ratio.

Item infinitum non posse esse actu certe dubium fuit apud multos. Unde Avicenna et Algazel posuerunt non esse impossibile infinita esse per accidens, sicut infinitas animas, quarum una ex alia non dependet.

Et praeterea, dato adhuc, quod anima sit incorruptilis, nec sit possibile infinita esse actu, ratio non facit ad propositum, quia nunc quaerimus utrum creaturae, unde creatura repugnat esse ab aeterno. Modo istud inconueniens de animabus, non sequitur creaturam, unde creatura, sed ratione generationis existentis ab aeterno. Vel dicendum quod secundum fidem posset sic evitari ista ratio, quod impossibile est aliquid esse genitum ab alio et aeternum. Cuius ratio est quia cum aeterno nihil sit prius et esse genitum universaliter praecedat aliquis motus duratione et tempore impossibile est de se quod aliquod genitum sit aeternum. Sed generatio semper terminatur ad genitum. Ideo impossibile est generationem 'ab aeterno esse'. Ita quod quamvis homo posset creari a Deo ab aeterno, non tamen potuit generare nisi in tempore determinato.

Sed tu diceret quomodo ergo homo fuit perfectus ab aeterno et non potuit generare. Dico quod semper in universo oportet esse virtutem aliquam, quae universum ab omni defectu universali custodiat et amoveat quidquid potest esse ad imperfectionem universi. Cum ergo infinitas actu sit maximus defectus in universo et non habeat rationem entis, quamvis homo creatus sit ab aeterno detentus est tamen, ne ab aeterno generaret propter imperfectionem universi. Nec obstat, quia erat perfectus, quia secundum Philosophum generatio est ad conservationem speciei, quae in uno salvari non potest. Natura igitur universali conservante hominum, ne inconueniens accideret de infinitate propter bonum universi differre potuit generationem ab eo et tamen universum perfectum esse in omnibus suis speciebus. Sic ad primum.

Ad secundum de circulationibus infinitis, dico quod non sunt infinite circulationes, sed una est continua illuminatio et unus dies, et per consequens multe in potentia. Sed quod sint multi dies et multe illuminationes, hoc est ex parte nostra, quia de illa illuminatione iudicamus secundum hemisphaerium nostrum, ubi apparet aliquando illuminatio sic, aliquando aliter propter diversam interpositionem corporis opaci ad solem. Et ratio unitatis est, quia ratio continuitatis motus, quam illuminatio sequitur, est una et continua. In continuo autem non est dare hic et nunc, nisi ex parte nostra, sed hoc nihil ad continuum. Etsi tu arguas, ponatur aliquod continuum medium in media parte calidum et in media parte frigidum, certum est quod non possum dicere quod totum continuum sit calidum vel quod totum sit frigidum. Ergo similiter in proposito, ut si aer in una parte illuminatur et in alia non, non possum dicere quod totus aer sit illuminatus, licet totus sit continuus. Dico quod non est simile, quia caliditas et frigiditas suis formis terminantur in continuo, ita quod in continuo est



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, *Graz, Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

significare partem per se ex parte continui, ultra quam non se extendit forma. Sed sic non est de illuminatione, quae semper vadit ultra sine quiete. Et sicut est de illuminatione, ita est de umbra. Unde et quando terminantur dies et noctes, hoc non est nisi per comparisonem ad nos, non ad solem vel aerem. Ad illud de lapidibus dico quod non valet, quia tu ponis unum unde sequitur inconveniens. Nam tu ponis illam circulationem continuam, quae actu et realiter est una, actu divisam et infinitam, quod est impossibile, cum solum sit divisibilis in potentia, quia tu ponis secundum imaginationem tuam infinitos dies. Et hoc inconvenienti posito potest concedi illud quod concluditur, quia uno inconvenienti dato alia sequuntur.

Ad tertium patet quod infiniti dies non fuerunt praeteriti secundum viam istam, cum impossibile sit imaginari actu infinita esse numerata, cum actu non possit dividi illuminatio in infinitum.

Ad quartum dicendum quod si res aliqua est ab aeterno, tunc fieri eius non est a Deo, quia non fieret, sed tantum conservaretur. Ista ratio optime concluderet si fieri rei esset quidam transitus de non esse ad esse et esset medium inter istos duos terminos, sicut videntur imaginari, sed non est ita. Modo videamus. Ponamus quod sol ab aeterno sit super hemisphaerium nostrum. Constat autem quod fieri ipsius luminis esset a sole et ipsa illuminatio. Et dico, quod in talibus idem est fieri rei et factum esse, sicut in omnibus mutationibus subitaneis, tamen aliter in hiis quae de novo fiunt et aliter in hiis, quae sunt ab aeterno; quia in hiis quae de novo fiunt, sumitur fieri per comparisonem ad non esse praecedens directe, sed esse /29rb/ per comparisonem ad formam existentem in subiecto. Et ideo pro isto instanti quod continuatur tempori in quo non erant, dicuntur fieri pro tempore quod sequitur, dicuntur facta esse, sed non fieri. Sed in hiis quae sunt ab aeterno ab alio est aliud, quia fieri sumitur in talibus per comparisonem ad non esse quod ex se habent quod prius 'est in eis' natura non tempore, sed esse sumitur in talibus per comparisonem ad agens dans esse. Et quia semper inest eis de natura sua non esse et tamen semper a Deo habent esse. Ideo de eis potest dici quod semper sunt et semper fiunt. Nec est mirum, cum caritas et gratia, quae sunt de pertinentibus sic se habent ad Deum, sicut lumen aeris ad solem, dico quod accidit Augustinus quod semper illuminatus est et semper illuminatur.

Ad quintum cum dicit quod creatio est inter duos terminos, sicut et generatio, dico quod falsum est, quia creatio non requirit duos terminos, etiam imaginabiles, durationis sicut generatio. Dico, quod accidit sibi in ratione precedentis motus, in cuius termino genitum habet esse. Ad rationem autem creationis non requiritur non esse duratione praecedens, sed tantum natura.

Contra hoc tamen arguunt sic. Illa, quorum unum praecedit alterum tantum natura, sunt simul tempore, sicut rationale prius est natura quam risibile. Et ideo simul est cum eo tempore. Si ergo in re quae est ab aeterno, non esse praecedet natura suum esse. Ergo simul est et non est, quod est inconveniens.

Dico quod ita intelligo, quod non esse praecedet natura esse, quia cum prius conveniat alicui, quod convenit sibi secundum se quam quod convenit sibi ab alio. Res autem habet non esse a se, si sibi relinquatur. Esse autem habet a Deo. Ideo non esse praecedit esse natura. Ergo simul est et non est. Dico quod non sequitur, quia propositio prima intelligitur quando in uno alterius oppositum non intelligitur. Verbi gratia, ponatur quod aliquis sit creatus in gratia, sicut angeli forte, constat quod non



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

esse gratum praecedit in eis gratum esse secundum naturam. Non tamen sequitur quod simul sint grati et non grati. Similiter accipiatur aqua quae simul sit aqua, et cum hoc calida, tamen non calidum inest sibi prius quam calidum naturaliter. Non tamen est simul calida et non calida. Sic dico in proposito. Ideo obiectio non valet.

Ad sextum et ultimum, cum arguitur quod accipere esse aliud ab esse dantis, est accipere novum esse, distingo de novo esse. Uno modo sumitur pro alio esse, et sic concedo, quod illud quod creatur accipit novum esse. Alio modo potest intelligi novum esse duratione, idest, accipere esse de novo, et tunc maior est falsa, quia illud quod est ab eterno, licet accipiat aliud esse a dante, non tamen accipit illud de novo.

Ad argumenta principaliter facta quae tamen videntur demonstrationes, dicendum primo quod creatio non equaliter respicit non esse ut terminum a quo et annihilatio non esse ut terminum ad quem, quia de ratione adnihilationis est non esse duratione, quia necessario sequitur adnihilationem, sed de ratione creationis non est non esse duratione, quod praecedit rem quae creatur, ut visum est.

Ad secundum dicendum quod aliquid potest esse possibile alicui simpliciter, quod tamen non est simpliciter possibile facta suppositione ut me non currere est possibile simpliciter, sed me non currere, quando curro, est impossibile simpliciter. Ita dico in proposito, quod posito in esse quod mundus fuerit creatus ab aeterno certe non potuit non creari, tamen simpliciter potuit non creari, sicut patet de praedestinatione, quia ab aeterno potuit istum non praedestinare. Sed supposito quod ab aeterno eum praedestinaverit, non potuit eum non praedestinare.

Circa distinctionem primam secundi libri quaeritur utrum creare sit solius Dei. Videtur quod non, sed quod aliqua creatura possit creare, quia quanto aliquid magis resistit agenti, tanto difficilius est ipsum fieri ab agente. Sed contrarium magis resistit agenti quam non ens simpliciter, quia non ens nihil in se habet unde resistere possit. Ergo si agens naturale aliquid potest generare ex contrario, non obstante eius resistantia, multo fortius poterit hoc ex non ente quod est creare. Ergo creatura poterit creare.

Praeterea virtus aliqua facientis consideratur secundum mensuram eius quod fit, quia ex effectu iudicamus de virtute agentis, sed omne ens creatum est finitum. Ergo ad productionem cuiuscumque entis creati sufficit virtus finita, sed habere quamcumque virtutem finitam, si repugnant creaturae. Ergo creare potest creaturae communicari.

Contrarium dicit Augustinus III *De Trinitate* quod nec boni nec mali angeli possunt esse creatores. Ergo multo minus alia creatura, sed solus Deus potest.

Responsio. Ista quaestio unum proponit, scilicet utrum creare possit communicari creaturae, et supponit quod creare Deo conveniat. Ideo sunt duo videnda.

Primo ostenditur quod ad Deum proprie et per se pertinet creare. Secundo ostenditur quod creare non sit creaturae communicabile.

Circa /29va/ primum sciendum quod, cum creare sit ex nihilo aliquid facere, ad rationem creationis duo videntur principaliter pertinere.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

Unum est quod creatio nihil supponit in re quae creari dicitur. Per quod differt creatio ab aliis mutationibus, quia generatio praesupponit materiam, cum sit terminus motus, ut dicitur V *Physicorum*. Aliae autem mutationes, ut alteratio et augmentatio et huiusmodi, praesupponunt non solum materiam, sed subiectum quod est ens completum. Ex quo statim patet quod causalitas ipsius generantis vel alterantis se extendit tantum ad formam, sed causalitas creantis se extendit ad totum quod est in re quae creari dicitur.

Secundum, quod requiritur ad creationem, est quod in re, quae creari dicitur, sit prius non esse quam esse, non quidem prioritate temporis, ut supra ostensum fuit, sed prioritate naturae, scilicet quod res quae creari dicitur, si sibi reliquatur, consequatur non esse. Ex hiis arguo sic. Illius agentis est proprie creare quod nihil in actione sua supponit ex parte rei quae creatur. Sed Deus in operatione sua non supponit materiam, ut probabo. Ergo ipse totum producit quod est in re et sic proprie ad ipsum pertinet creare. Maior patet ex supposito. Minor declaratur, quia omne agens, quod in actione sua requirit et praesupponit materiam praeiacentem, habet materiam proportionatam suae actioni, ut scilicet quidquid sit in virtute agentis activa, sit in potentia materiae receptiva: alias non posset producere in actum quidquid est in virtute sua, et sic frustra haberet talem virtutem. Materia autem talem proportionem non habet ad Deum, ut scilicet quidquid sit in virtute divina, totum sit in potentia passiva materiae, quia virtus divina est infinita, ut in primo declaratum est. Materia autem non habet potentiam passivam infinitam, quia non est in potentia ad quamcumque quantitatem, ut probatur in III *Physicorum*. Ergo Deus in actione sua non requirit materiam praeiacentem, sed per creationem producit eam.

Praeterea. Materia vel est producta a Deo vel non. Si producta, aut ergo ex nihilo est tunc habeo propositum, aut ex aliquo quaero de illo, ut de primo, utrum sit productum de nihilo aut ex aliquo. Et sic erit processus in infinitum vel dabitur quod aliquid ex nihilo sit productum. Etsi tu dicas quod materia non est producta, hoc non potest esse, quia esse non ab aliquo est habere esse perfectum quod sit causa omnium aliorum, sicut ignis est causa omnium aliquorum calidorum, quia per se est calidus non ab alio formaliter. Materia autem est imperfectissimam, ideo non convenit sibi non esse ab alio, sed materia potest produci nisi per creationem cum in omni mutatione supponatur; ergo creatio est propria operatio Dei. Et sic patet primum.

Quantum ad secundum, scilicet quod creare non possit creaturae communicari, arguo sic. Cum enim creare sit actus eius quod in actione sua nihil supponit ex parte eius, quod creari dicitur, nec ex parte agentis, ei non potest communicari, quod in sua operatione aliquid praesupponit necessario. Sed omne agens creatum in sui actione necessario aliquid praesupponit ex parte agentis, scilicet id quod per actionem divinam producit, et ex parte rei quae creatur, scilicet materiam. Ergo impossibile est, quod creare creaturae communicetur.

Maior declarata est ex supra dictis. Ad declarationem minoris advertendum, quod omne ens creatum ab alio est ens, et est tale ens signatum et est hoc ens, ut ignis creatus ab igne et est ens et est tale ens, quia ignis, et hoc ens signatum, quia hic ignis generatus est in tali materia. Et licet ignis generatus sit, omnia ista tamen habet ab alio, quod sit ens, et quod sit ignis, et quod sit hic ignis, quia quod sit ens habet a primo, scilicet Deo, quod sit ignis habet a generante, sed quod sic hic ignis habet



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

a materia signata, in qua forma ignis recipitur. Ergo cum ignis generans et quodlibet agens naturale sit quasi medium inter agens divinum et materiam. Ideo agens naturale producit effectum sub esse medio. Et quia esse speciale est esse medium inter esse generale, quod est ens, et esse signatum, quod est hoc ens, ideo effectus, ut producitur a naturali agente, producitur sub esse speciali, non sub esse generali, nec signato. Ergo, si ignis produceret ignem sine materia vel non supponendo materiam, sic produceret ignem quod non habet ignem. Si autem agens naturale, sicut ignis, produceret ignem non supponendo actionem Dei, sic produceret ignem quod non esset ens, quod est proprius effectus Dei. Sed hoc est impossibile et contradictionem implicans, scilicet quod agens naturale producat effectum qui non sit ens et hoc ens signatum. Ergo impossibile est, quod aliquod agens agat non praesupposita materia et etiam actione divina. Sed /29vb/ nullum tale potest creare; ideo etc.

Sed licet ista ratio pulchra videatur, tamen habet debile fundamentum. Huic enim innititur, quia dicit quod ab alio habet ignis, quod sit ens et quod sit tale ens et quod sit hoc ens, dico quod non valet, quia cum Deus operatur in omni opere naturae et omnis effectus immediate secundum se totum sit a Deo, necessario oportet, quod cum ratio entis et ratio talis entis et ratio huius entis pertineat ad effectum, scilicet ad istum ignem, qui immediate creatur a Deo, necessarium est quod secundum has rationes, secundum se totum scilicet, creatus sit a Deo. Unde et ipsimet confitentur quod quilibet effectus creatus totus est a Deo etiam secundum id quod est a natura. Quando etiam ulterius deducit quod, si agens naturale crearet ignem subtracta operatione divina, tunc ignis esset ignis, sed non esset ens, dico quod falsum est, quia quod sit ignis certe non tantum habet hoc ab agente naturali, immo etiam a Deo, cum causa primaria plus influat super causatum causae secundae quam ipsamet causa secunda. Unde ipse male imaginatur sic, quod esse sit a Deo, sic quod nullo modo a creatura; et quod ipsa determinatio essendi sit ita a causa secunda quod non a Deo, quorum utrumque falsum est, quia quod ista causa sit sic determinet ad tale esse, hoc non habet nisi a virtute divina, cuius instrumentum est omnis causa secunda agens. Et ideo dicendum est aliter quod creare non conveniat creaturae nec communicari possit sicut principali agenti, ad quod tamen dicta ratio ibat. In hoc enim conveniunt omnes philosophi, quod cum principalis actio debeatur primo agenti principaliter, et primum agens universale sit Deus, principalis actio, quae supponitur ab omnibus aliis mutationibus, quae est creatio, certe non convenit nec convenire poterit principaliter nisi Deo.

Sed cum nos videamus, quod ad effectum principalem primae causae attingat, quandoque inferior causa agens non virtute propria sed virtute agentis primi, opinati sunt aliqui quod, licet creatio sit propria actio ipsius Dei, ad ipsum tamen potest creatura pertingere non in virtute propria, sed in virtute divina agentis et formantis actionem cuiuslibet creaturae.

Et hoc modo opinatus fuit Avicenna, quod prima substantia separata creata a virtute divina causabat intelligentiam aliam; et illa alia, intelligendo se in quantum actus, animam orbis causabat, intelligendo autem se sub ratione potentiae, in quantum a primo elongata, causabat substantiam corporis, quae substantia per motum suum erat causa istorum inferiorum.

Hoc modo posuit magister sententiarum quod communicari potest creaturae quod creet non auctoritate propria, sed per ministerium et virtutem divinam, sed illud est impossibile.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

Ad cuius evidentiam sciendum quod causa instrumentalis actionem principalis agentis non attingit, nisi in quantum operatur aliquid sibi proprium naturale dispositus ad effectum principalis agentis. Quod enim calor naturalis habeat creare carnem, quod est proprius effectus animae, hoc est mediante propria actione, scilicet digerendo et dissolvendo, ut habetur II De anima. Quod etiam securis operetur instrumentaliter ad formam scamni, hoc est mediante actione propria, scilicet secando et dividendo lignum. Modo ita est quod semper effectus respondens actioni propriae et naturali instrumenti prior est via generationis quam effectus principalis vel agentis, sicut prior est sectio ligni quam forma scamni. Ergo si aliquod agens creatum posset agere instrumentaliter ad principalem effectum ipsius Dei creantis, qui est esse, oportet quod per suam actionem naturalem produceret aliquid prius quam primum esse. Hoc autem falsum est et impossibile, quia cum ipsum esse sit communissimum inter omnia et substratum omnibus aliis perfectionibus non potest aliquid prius esse in effectum, quia primum in quocumque est ipsum esse, super quod alia fundantur. Ergo impossibile est, quod ut instrumentum possit aliquod creatum creare.

Ad argumenta in oppositum dicendum quod resistentia contrarii causat difficultatem in agente ne inducat formam suam. Hoc est ratione potentiae magis elongatae ab actu, quem intendit agens inducere, verbi gratia quod ignis cum maiori difficultate inducat formam in materiam aquae quam aeris. Hoc est in quantum ipsa contrarietas maior in aqua magis ligat et magis elongat potentiam materiae respectu formae. Ubi ergo est potentia magis elongata ab actu, certe difficilius habet ibi agens inducere formam suam. /30ra/

Sed constat ubi nihil est nec aliqua potentia, maior est ibi elongatio ab actu quam elongatio quae est per contrarium impediens; et ideo cum in creatione nulla praecedat potentia in effectum, in contrario autem semper praexistat alia potentia, maior virtus requiritur in agente quod reducat aliquid ad actum de nihilo quam de contrario. Ex quo patet solutio ad secundum: Virtus enim facientis non tantum consideratur ex substantia facti, sed ex modo faciendi. Maior enim calor non solum magis, sed etiam citius calefacit. Unde quamvis creare effectum finitum non demonstret potentiam agentis infinitam, tamen creare ipsam ex nihilo bene demonstrat; quia si tanto maior potentia requiritur in agente, quanto magis fuerit potentia in effectum elongata, oportet quod virtus agentis ex nulla potentia praesupposita sit infinita, cuiusmodi est agens per creationem, quia nullius potentiae ad aliquam potentiam nulla est proportio. Et ideo agens quod de se, de nulla potentia vel de nihilo reducit aliquid ad actum, est potentiae infinitae, cuius non est capax creatura.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum creaturae sint propter bonitatem Dei, ita quod bonitas Dei sit finis omnis creaturae.

Dicendum quod agens et finis proportionantur sicut materia et forma. Ad videndum de fine, oportet primo videre et distinguere de agente.

Ad cuius evidentiam sciendum quod duplex est agens. Est enim quoddam agens proportionatum suo effectui, quod formam eiusdem rationis habet inducere in effectum et illud est agens univocum, sicut ignis generat ignem et domus in materia creatur a domo existente in anima, ut patet ex VII *Metaphysicae*.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

Aliud est agens improportionatum suo effectui, quod non inducit in effectum formam secundum eandem speciem cum ipso, sed quandam eius similitudinem, sicut sol inducit calorem in istis inferioribus; et istud est commune omnibus equivocis agentibus. Et sicut distingo de agente, ita etiam dico quod duplex est finis.

Est enim finis quidam proportionatus ei quod est ad finem, per quod acquiritur ille finis ut perfectio formaliter existens in eo in quo habet esse, sicut sanitas est finis creatus in aliquo per operationem medicinae.

Alius est finis qui non est proportionatus ei, quod est ad finem, nec acquiritur ut perfectio eius cuius dicitur finis, sed aliquae eius similitudo. Quando ergo quaeritur utrum creaturae sint propter bonitatem divinam, ita quod ipsa sit finis creaturae, dico quod est finis improportionatus excedens in infinitum quamcumque creaturam. Et ideo non acquiritur in creatura secundum se, ita quod ipsa sit forma eius, sed est aliqua similitudo eius quae similitudo consistit in participatione bonitatis divinae. Et quia omnis creatura tendit in finem sibi proportionatum, hinc est quod omnis creatura et omnis appetitus naturae vel voluntatis tendit in assimilationem divinae bonitatis, et in ipsammet tenderet, si sibi esset possibilis acquiri ut perfectio essentialis qui est forma rei. Sciendum tamen quod aliter acquiritur divina bonitas a creatura rationali et aliis creaturis, quia ipsamet divina bonitas per essentiam potest acquiri a rationali creatura ut perfectio essentialis in ratione obiecti beatitudinis, inquantum creatura rationalis potest acquirere bonitatem, quae consistit in videndo et amando Deum. Non autem aliae creaturae et ideo aliae creaturae sunt propter divinam bonitatem, inquantum tendunt vel desiderant aliquod bonum, quod est similitudo quaedam divinae bonitatis. Rationalis vero creatura tendit in ipsam modo quoddam singulari, ut obiectum beatitudinis.

Tertio quaeritur de anima utrum sit composita ex materia et forma.

Videtur quod sic, quia omne quod est, vel est potentia pura vel actus purus vel compositum ex potentia et actu. Sed anima non est purus actus, quia sic non differret a Deo, nec potentia pura, quia sic non differret a materia prima; ergo est composita ex materia et forma vel ex potentia et actu.

Contra. Dicit Boethius quod omnis natura incorporeae substantiae nullo modo innitur fundamento. Sed anima est substantia incorporea, ergo non habet materiam partem sui.

Responsio. Dicendum quod in ista quaestione sunt duo videnda. Primo quod anima nullo modo est composita ex materia et forma. Secundo tanguntur obiectiones contra hoc. Conclusionem principalem declaro dupliciter.

Primo ex ratione animae in communi sic. Quia illud quod secundum totam substantiam suam est forma et actus alicuius naturae, impossibile est quod secundum partem sui sit materia, quia cum materia ex opposito dividatur contra formam et actum. Si aliquid secundum aliquid est forma, impossibile est quod secundum illud sit materia. Sed anima /30rb/ secundum se totam est forma et actus corporis; ergo impossibile est quo ipsa secundum aliquid sui sit materia vel habeat materiam partem sui.

Secundo ostenditur sic ex ratione animae inquantum est intellectiva. Cum enim omne quod recipitur in alio, recipiatur in eo per modum recipientis, impossibile est quod in aliquo materiali



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

recipiatur res secundum condiciones immateriales. Sed constat quod intellectus humanus recipit obiectum suum immaterialiter et ad hoc est intellectus agens necessarius intellectui possibili, ut speciem abstrahat a condicionibus materialibus. Unde et in II *De anima* dicitur quod sicut sunt res separabiles a materia, sic se habent ad intellectum; ergo oportet ponere necessario quod anima intellectiva sit omnino immaterialis. Si enim anima esset composita ex materia et forma, cum materia sit principium individuationis, certe formae rerum reciperentur in anima ut individuales et intellectus non cognosceret nisi singulare, quod est contra Philosophum II *De anima* et in aliis locis, ubi dicitur quod scientia quae proprie est in intellectu est universalium.

Modo contra positionem istam arguitur multipliciter et ostenditur etiam quod rationes non concludant.

Primo arguunt sic contra conclusionem. Dicit enim Commentator *Super I De anima*, inquirens de intellectu materiali, utrum sit ens et utrum sit compositus ex materia et forma. Dicit quemadmodum, inquit, sensibile dividitur in materiam et formam, sic omne intelligibile oportet consimiliter dividi in aliquid simile formae et aliquid simile materiae. Et necesse est hoc ponere in omni intelligentia abstracta, quae intelligit aliquid; aliter enim non esset, dicit ipse, multitudo in formis abstractis.

Secundo ostenditur quod haec positio est contra philosophiam. Hoc enim habet omnis philosophia, ut dicunt, quod potentia rei numquam attribuitur nisi ratione materiae et actio nisi ratione formae. Ergo si anima esset pura forma, omnes potentiae eius essent activae et nulla passiva, cum non habeat materiam; quod patet falsum esse.

Tertio dicunt quod istud est contra fidem, quia tam secundum sanctos quam philosophos omnis receptio attribuitur rei ratione materiae; ergo amovens materiam ab anima, tolleretur ab ea receptio poenae et gloriae, quia nihil secundum quod est actu recipit, sed secundum quod est in potentia. Omnis autem potentia reducitur ad materiam secundum Commentatorem *XI Metaphysicae*.

Ad rationes autem solvunt et dicunt quod anima secundum se totam considerata est forma corporis; ergo non potest esse materia secundum aliquam partem sui. Dicunt quod non sequitur, quia in omnibus compositis ordinatis ad superiores perfectiones, ipsa materia cum forma prima habet rationem materiae respectu formae ultimae, ita quod ipsa materia animae habet rationem formae respectu corporis quod informat, in quantum autem informatur a parte animae, quae erit forma ulterior, dicitur materia.

Ad aliam rationem dicunt quod non plus concludit argumentum quam quod potentia intellectiva sit magis immaterialis quam sensitiva, et arguunt contra rationem, quia si oportet esse intellectum immateriale, quia recipit speciem immaterialem; ergo cum sensus recipiat speciem sive obiectum suum sine materia, tunc est immaterialis, quod apparet esse falsum. Et ideo ratio non concludit, ut dicunt, quia oportet in omni receptione receptum assimilari recepti.

Ad omnia illa dico quod non concludit rationes, nec bene solvunt ad rationes ut apparebit.

Ad primam rationem eorum de Commentatore, patet quod non est ad propositum de anima nec quantum ad hoc debet recipi Commentator, quia ipse posuit intellectum unum possibile et aeternum in omnibus hominibus. Intellectum autem materiale vocat 'imaginationem' in quo sunt phantasmata, ideo non valet. Ad hoc autem quod subditur quod in omni intelligentia abstracta oportet aliquid esse loco materiae et aliquid loco formae, dico quod verum est, sed non oportet quod sit materia proprie dicta.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

Unde dico quod ipsa essentia intellectivae habet rationem potentiae respectu sui esse, cum non sit suum esse. Non tamen propter hoc sequitur quod ibi sit materia proprie dicta. Et quod dicitur quod aliter non esset multiplicatio in substantiis abstractis, nisi esse materia, verum est secundum numerum. Nec ego pono quod angeli, de quibus loquimur, differant secundum numerum, sed secundum speciem.

Ad secundum dico quod ratio potentiae non sumitur in substantiis separatis propter materiam inexistentem, sed potius propter gradum naturae, in quantum sunt sic distantes a primo, quod non sunt suum esse. Ex quo sequitur quod, licet essentia earum sit actus, tamen, ut comparantur ad suum esse, habent rationem potentiae propter distantiam earum a primo, non quia in ipsa essentia sit simpliciter compositio. Et inde est quod in ea fundantur diversae potentiae, quibus operantur non per essentiam suam. Quod autem ibi sint aliqua passivae et aliqua activae, hoc non est ratione materiae, sed ratione obiecti, quia si potentia esset passiva ratione materiae, ergo nulla potentia materialis nulla esset activa; quod falsum est, ut patet in vegetativa. Unde ergo sumitur ratio potentiae activae et passivae. Dico ab obiecto, ex quo cognoscitur potentia, quia omnes illae potentiae, quae efficiunt obiectum suum, ut vegetativae, activae sunt potentiae, ut patet etiam de intellectu agente, qui facit obiectum suum abstrahendo a phantasmate. Similiter alimentum est obiectum nutritivae, sed potentiae sensitivae /30va/ sunt passivae, quia non faciunt obiecta sua, sed ab eis factis aliunde informantur, ut patet de colore, qui est in re extra, quia per actionem lucis abstrahitur secundum speciem informantem visum.

Ad tertium dico quod, salva eorum reverentia, non dicunt verum quod sit contra fidem, quia non negatur nec receptio poenae nec gloriae ab anima propter negationem materiae, quia receptio illa est alterius rationis a receptione materiae. Receptio enim materiae proprie est per transmutationem cum alterius abiectio. Non autem receptio animae respectu poenae vel gloriae, quia nihil abicitur ab anima, sicut per hoc quod intelligit hoc et recipit speciem, non oportet quod habeat materiam, quia ista receptio alterius rationis est. Receptio autem poenae est per quandam violentam detentionem, ut in IV libro Deo dante declarabitur.

Ad hoc quod dicunt ad rationem, dicendum quod nihil valet: non enim solvunt. Licet enim hoc possit esse quod forma imperfecta substantia possit habere rationem materiae in quantum minus est in actu, tamen constat quod ipsa dat esse simpliciter et substantiale, ita quod ultima, quamvis sit perfectior, non dat nisi esse accidentale. Unde si ponatur quod anima sit composita ex materia et forma, quamvis ipsa materia animae habeat aliquantulum rationem actus respectu corporis, tamen ipsa anima informans suam materiam dabit sibi simpliciter esse substantiale, ita quod corpus adveniens est accidentale, cum sit adveniens prius esse completum non ordine temporis, sed naturae.

Et praeterea quod dicunt quod materia, ut informatur forma animae, habet rationem materiae, falsum dicunt, quia illa materia est sub actu, non tamen est actus, tunc enim corpus esset forma.

Item cum eadem forma non possit diversas informare materias, maxime diversae rationis, impossibile est quod anima informans materiam suam possit postea informare corpus et maxime quantum ad esse substantiale.

Praeterea tertio nihil est de exemplo eorum arguunt sic. Forma potest habere rationem materiae, ergo materia rationem formae. Dico quod non sequitur, quia materia, secundum id quod est, est



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. I, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 28rb-30va
(transcribed by Andrea Colli)

potentia pura, ideo non potest esse actus; sed forma maxime materialis non est actus purus, ideo potest habere rationem materiae respectu alterius perfectionis; ideo non videntur solvere.

Ad aliam rationem non solvunt, cum dicunt quod potentiae sensitivae recipiunt speciem sine materia et tamen tales sunt materiales; dico quod, licet hoc faciant, non tamen sine condicionibus materiae. Intellectus autem eas recipit sine condicionibus materiae. Unde advertendum quod, si anima intellectiva habet materiam, cum ipsa sit principium individuationis formae, recipere in ea individuales non tantum in essendo per comparisonem ad subiectum, sed certe etiam in recipiendo per comparisonem ad obiectum, sicut sunt omnes formae receptae in organo corporis.

Ad argumentum primum dicitur quod, licet anima non sit actus purus, nec potentia pura, non tamen sequitur quod sit composita ex materia et forma ut ex dictis patet.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum anima rationalis debuit uniri, ut forma, tali corpori. Dicendum quod sic breviter. Quod patet ex ratione Avicennae, quia secundum ordinem perfectionum oportet esse ordinem perfectibilium. Inter omnes autem perfectiones in istis corporalibus repertas primum gradum tenet illud quod movet caelum, sive sit anima eius, sive non. Huic autem maxime assimilatur anima rationalis; ergo perfectibile ipius animae maxime assimilari debet ipsi caelo. De nobilitate autem corporis celestis est quod non habet contrarium; unde quanto corpus plus separatur a contrarietate, tanto caelo similis efficitur. Hoc autem non potest esse in generabilibus et corruptibilibus hoc modo quod a contrariis omnino absolvantur, scilicet a calido, frigido, humido, sicco. In hoc ergo maxime assimilatur aliquod corpus infinitus ipsi corpori caelesti quod ipsa contraria reducuntur ad medium, quia ipsum medium neutrum extremorum est actu; et ideo illud corpus quod devenit ad maximam aequalitatem mixtionis est simillimum caelo et per consequens magis proportionatum, ut sit perfectibile ab anima rationali. Huiusmodi autem corpus est corpus humanum, quia inter omnia corpora mixta magis redactum est ad medium ipsum corpus humanum, et inde est, ut dicitur II *De anima*, quod homo est melioris tactus quam omnia animalia propter aequalitatem suae complexionis.

Ex hiis praemissis arguitur sic. Cum inter perfectibile et perfectionem debeat esse proportio, perfectio quae magis assimilatur perfectioni corporis celestis, debet habere perfectibile corpori caelesti similis; sed inter omnia corpora inferiora corpus humanum magis a contrarietate recipit, quia magis est simile corpori caelesti. Ergo conveniens perfectibile ipius anime rationalis est corpus humanum.